

EVCLIDIS MEGARENSIS GRAE-
CI PHILOSOPHI, GEOMETRICORVM ELE-
MENTORVM LIBER DECIMVS.

Ex Campauro

Diffinitiones



Vantitates quibus fuerit una quantitas com-
munis eas numerans, dicentur communicantes.
2 Quibus uero non fuerit una communis qua-
ntitas eas numerans, dicentur incommensurabiles.
3 Lineæ in potentia communicantes dicuntur,
quarum superficies quadratas una communis super-
ficies numerat. 4 Lineæ incommensurabiles in potentia dicuntur, qua-
rum superficies quadratas non numerat una communis superficies. Quæ
cum ita sint, manifestum est quia omni lineæ positæ, multæ aliæ sunt inco-
mensurabiles, quædam in longitudine tantum, quædam in longitudine
& potentia. 5 Omnis autem linea cum qua ratiocinamur posita, uo-
cetur rationalis. 6 Lineæque ei communicantes, dicuntur rationes.
7 Eidem autem incommunicantes, dicuntur irrationales siue surdæ.
8 Omnis uero quadrata superficies de qua per hypothesin rationa-
mur, dicitur rationalis. 9 Superficies uero ei communicantes, dicun-
tur rationales. 10 Eidem autem incommensurabiles superficies, dicun-
tur irrationales siue surdæ. 11 Latera uero quæ in illas quadratas pos-
sunt, dicuntur irrationalia.

Eucl. ex Zamb.

Diffinitiones



Commensurabiles magnitudines dicuntur, quas eadẽ
mensura dimetiatur. 2 Incommensurabiles au-
tem, quæ sub nullius communis mensuræ dimensio-
nem cadunt. 3 Rectæ lineæ potentia commensu-
rabiles sunt, quando quæ ab ipsis quadrata, eadem a-
rea dimetitur. 4 Incommensurabiles autem, quan-
do nulla area communis mensura esse potest eorum quæ ex ipsis sunt qua-
dratorum. His expositis indicatur, quod proposita recta linea hoc est à qua
& cubitales, & palmi, & digitales, ac pedales sumuntur mensuræ, ipsi sunt
rectæ lineæ multitudine infinitæ commensurabiles & incommensurabiles.
Commensurabiles quidem, aut potentia tantum, aut potentia & longitu-
dine simul. Incommensurabiles uero, aut longitudine tantum, aut longitu-
dine & potentia simul. 5 Vocatur igitur ipsa quidem proposita recta
linea, rationalis. 7 Et quæ huic commensurabiles siue longitudine & po-
tentia, siue potentia tantum, rationales. 8 Quæ autem incommensura-
biles per utrunque, hoc est longitudine & potentia, irrationales appellan-
tur. 9 Et quod quidem à proposita recta linea quadratum, rationale.

x 2 10 Et